

CAPUT II.

DE IMITATIONE.

I. Imitationem utilem et necessariam esse, nec tamen eatenus, ut per se ipsa sufficiat, sed ut plus et melius efficere conemur. II. Exactissimo iudicio in ea examinanda esse omnia et videndum, quos et quid in iis imitemur. III. Etiam vires consulendas esse. IV. Suo quidque loco esse imitandum et cavendum, ne uni nos generi vel scriptori dedamus. V. Imitationem non fieri tantum in verbis.

1 **I.** **E**x his ceterisque lectione dignis auctoribus et verborum sumenda copia est et varietas figurarum et componendi ratio: tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur *imitatione*. Nam ut invenire primum fuit estque praecipuum, sic ea, quae bene inventa sunt, 2 utile sequi. Atque omnis vitae ratio sic constat, ut quae probamus in aliis facere ipsi velimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur: sic musici vocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur.

§. 1. Quae vulgo fertur *de imitatione* inscriptio, eius nullum in Codd. Tur. Flor. et in Camp. vestigium: reperitur in Guelf. Goth. et in omnib. editt. ante Gesn. qui omisit praecunt. Obr. — *copia est et*. Verbum *est*, (uti passim, cfr. Drakenb. ad Liv. 37, 51, 3. a sequenti et intercipitur) in Tur. Flor. Goth. et Camp. lens. et posterr. ante Ald. non legitur. Sed quod Spalding. proposuit, pro *et verbor.* scribi posse *est*, nec Frotschero probabile visum est, et ipsi enunciationis concinnitati repugnat. Abesse potest salva sententiae gravitate, sed quae plus etiam infringitur verbo substantivo praeposito.

§. 2. *intuentur*. lens. et editt. ante Basil. *tuentur*, quod ferri non potest vel propter: *opera priorum*. De dictione *intueri in aliquem* cfr. Cic. de Orat. 1, c. 2. *mihî in summos homines intuenti*. Id. de Univ. 10. *in speciem rerum intuens*. Liv. 40, 13, 4. *in hostiam — intuens*. Sensu paullo diverso dicitur: *intueri ad*. Cfr. Liv. 36, 45, 9. *ibiq.* Drakenb. — *initia*. Deest in Turic.

IN
Omnis de
scriptum
similes a
praestat,
faciliorem
nihil quoc
dicio appr
Ante
vel quia
ab aliis in
lis, quae
iam cogn

Florent. A
citer olim
nem syllab
suam quer
pro tironib
dubitavit,
§. 5. doc
perreniri
§. 3.
86. in re
DD. com
commodat
cendi gen
in. brevio
monibus f
Element.
2. 6. est:
mihî exagi
2, 45, 1
vel tunc
tur, tanqu
nocet, si
inserunt:
a librariis
tavit. 4,
§. 4.
Frotsch. e
copiosos p
ratio est
Ita Spald.
Quod iam
Unde Burr
quod hom
amplum s
subitico:
testimonio

Omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus. Et hercule necesse est aut 3
similes aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura praestat, frequenter imitatio. Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem omnium facit quam fuit iis, qui nihil quod sequerentur habuerunt, nisi caute et cum iudicio apprehenditur, nocet.

Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit, 4
vel quia pigri est ingenii, contentum esse iis, quae sint ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis, quae sine exemplo fuerunt, si homines nihil nisi quod iam cognovissent, faciendum sibi aut cogitandum putas-

Florent. Alm. Unde facile alicui subnasci possit suspicio, simpliciter olim scriptum fuisse: *omnis disciplinas*, nisi ob similitudinem syllabarum vocabuli antecedentis *initia* interciderere potuisse suam quemque ratio doceat. Num h. l. *initia* per metonymiam pro *tironibus* vel *discipulis* sumenda sint, et Frotscher. ad h. l. recte dubitavit, et hanc notionem h. l. non obtinere praeter alia Prooem. §. 5. docet: *nec ad ullius rei summam, nisi praecedentibus initiis perveniri potest*; et ipse dicendi usus hoc in genere sibi constat.

§. 3. *Et hercule*. Ita Spald. ex optimis Codd. Cfr. supra I, 86. in reliq. *hercle*. Obr. Gesn. De eo nunc quidem inter VV. DD. convenit, formam illam uberiolem vel latiorelem magis accommodatam esse sermonis gravitati; ideoque historicorum dicendi generi ubique vindicandam. Cfr. Drakenb. ad Liv. 7, 11. in breviorlem et contractam et idoneam et peculiarem esse sermonibus familiaribus, veluti comicorum poetarum. Cfr. Schneid. Element. I. 1. p. 431. — *apprehenditur*. In Camp. et Paris. I. 2. 6. est: *apprehendatur*. Similis *Modorum* confusio praecedente nisi exagitur a Cortio ad Sall. Cat. 20, 6. et a Drakenb. ad Liv. 2, 45, 13. A nostro loco Coniunctivus prorsus abhorret, quod vel tunc manifestum fiet, si quae h. l. sub conditione enunciantur, tanquam certa ac definita adfirmare libuerit, ita ut sit: *non nocet, si vel quum apprehenditur*. Ceterum post *rationem* multi inserunt: *rerum*. Obr. Gesn. Atque hanc vocem saepe perperam a librariis inculcatam esse Gronov. ad Liv. pluribus locis adnotavit. 4, 12, 6. Cfr. Spald. Tom. II, 448.

§. 4. *sufficit*. In Flor. a pr. m. datur: *suffecit*, ex quo Frotsch. conicit: *suffecerit*. Quod si quis cogitet de Perfecto *ἀόλοτος* posito, videat, ne ipsum illud obstet: *ante omnia*. Tota ratio est adfirmantis vel adeo simpliciter ponentis. — *quae sint*. Ita Spald. Fr. ex Tur. Flor. Reliq. *sunt*; in quib. Obr. Gesn. — *Quod iam*. In Tur. et Flor. mirum quoddam exhibetur: *imago*. Unde Burmann. eruit: *iam maiores*: contra monente Spald. Adde quod *homines* et *mores* iuxta se positi offendunt. Quum satis amplum sit spatium coniecturarum, equidem aliorum iudicio subiicio: *agendo*; saepe enim literas *n* et *d* interciderunt vel id testimonio est, quod frequens est permutatio *τοῦ ἀγέδου* et

en entenus,
e conemur.
videndum,
endas esse.
ne uni nos
tantum in

et verbo-
t compo-
m mens
artis pars
e primum
nta sunt,
ut quae
terarum
sic mu-
rustici
ntuentur.

us nullum
in Guelf.
t. Obr. —
Liv. 37,
et Camp.
ding. pro-
probabile
Abesse
nfringitur

quod ferri
intueri in
s intuenti.
13, 4. in
ntueri ad
in Turic.

5 sent? Nempe nihil fuisset inventum. Cur igitur nefas est reperiri aliquid a nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent: nos ad quaerendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus invenisse eos, qui quaesierunt?

6 Et quum illi, qui nullum cuiusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus aliarum rerum ad eruendas alias non proderit, sed nihil habebimus nisi beneficii alieni? quemadmodum quidam pictores in id solum student, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciant. Turpe etiam illud est, contentum

7 esse id consequi, quod imiteris. Rursus, nam quid erat

agendum. De structura cfr. XII, 10, 54. praestantissimos oratores *alio* quam *scriptis* cognoscimus.

§. 5. *igitur.* Iens. *ergo.* Cfr. Drakenb. ad Liv. 21, 14, 6. — *reperiri.* Tur. Flor. *reperire.* ex solempni generis confusione. Cfr. Daehne ad Caes. B. G. VII, 14. B. C. II, 27. — *an.* In Tur. et Alm. *tam,* scil. a praecedente litera; unde Camp. *recepit tamen.* Inde videre licet, unum errorem alterum post se trahere.

§. 6. *cuiusquam.* Guelf. et Camp. *cuiusque.* Qua confusione nihil frequentius; sed haesitavit Spald. in re decernenda; priorem rationem defendit Frotsch. Tironum gratia id moneo, *quisquam* ubivis ad mentem ita referri, ut subintelligatur graecae particulae *ἄν* singularis illa vis et potestas: pronomen *quisquam* ad genus *subiectivum*, ita dicere libet, *quisque* ad *obiectivum* pertinere. — *habuerunt.* In nonn. editt. Iens. Tarv. *habuerint;* et paullo post: *tradiderunt* iidem cum Codd. Tur. Flor. Guelf. et Camp. adsentient. nunc Paris. 1. 2. 6. Miror, neminem recentiorum ad rationem Iens. accedere voluisse. — *aliarum.* In Tur. Flor. est: *aliorum.* Edit. Locat. et posterr. multae habent: *illarum.* Cfr. Drakenb. ad Liv. 23, 7, 3. Sed omnia optime procedunt, et *aliae res* simul notionem includunt: *alieni auctoris.*

§. 7. *rursus nam.* Hunc ordinem unus servat Tur. quem secutus est Frotsch. nihil curante Spald. qui maluit vulgarem dicendi usum retinere. Monuit quidem Fr. ad h. l. huius aetatis scriptores, quemadmodum passim usum poëtarum aemulari consueverant, ita etiam *nam* et *namque* secundo loco posuisse. Verum id magis accidisse particulae *namque* quam alteri illi exemplis comprobatur. Deinde Quinctilianus vocem *rursus* primo loco posuit IV, 5, 2. et 12. simili prorsus conditione, qua hic eam usurpavit. Apparet vero, *rursus* non tam respicere superiora, ita ut antea dictum in memoriam revocet, sed ut similem aliquam conditionem vel locum vel argumentum adnectat. cfr. I, 10, 2. Unde coniecimus, *rursus* primum quidem locum merito obtinere, sed post interpungendum esse, ita ut verba a *nam* ad *sequebatur*, parenthesi intercepta cogitentur. Itaque referas adverbium ad §. 4. sed ita ut verba potissimum spectet: *nihil fuisset inventum:* cui dicto iam aliud quoddam simile subiungitur.

IN
 futurum, s
 nihil in pe
 riis supra
 navigaret
 tremas un
 scriberet.
 inventa es
 tissimum
 demum ni
 Quodsi p
 possumus
 maximos
 hil aut
 summa n
 bent. N
 transierit
 cuius ves
 enim se
 rumque
 difficulta
 in hoc i
 Cui maxi
 veluti ex
 dictum vi
 betur: st
 Codd. Vu
 §. 8.
 sed ratio
 priscum
 Codd. no
 testibus;
 in enunci
 sum dees
 aduersatio
 §. 9.
 et priorr.
 Iens. et q
 Reliqui:
 minum il
 nem ex
 ad stipula
 appetunt.
 at deficit
 §. 10

futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? — nihil in poetis supra *Livium Andronicum*, nihil in historiis supra *Pontificum annales* haberemus: ratibus adhuc navigaretur: non esset pictura nisi quae lineas modo extremas umbrae, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet. Ac si omnia percenseas, nulla sit ars, qualis 8 inventa est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potissimum tempora damnamus huius infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat. Nihil autem crescit sola imitatione. Quodsi prioribus adiciere fas non est, quomodo sperare 9 possumus illum oratorem perfectum? quum in his, quos maximos adhuc novimus, nemo sit inventus, in quo nihil aut desideretur aut reprehendatur. Sed etiam qui summa non appetent contendere potius quam sequi debent. Nam qui agit, ut prior sit, forsitan etiam, si non 10 transierit, aequabit. Eum vero nemo potest aequare, cuius vestigiis sibi utique insistendum putat. Necesse est enim semper sit posterior qui sequitur. Adde quod plerumque facilius est plus facere quam idem. Tantam enim difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res simplicissimae quaeque

Cui maxime id favet, quod, nisi omnia fallunt, *rursus* in tali veluti exordio positum cum quadam animi ac sensus vehementia dictum videtur. Nam autem particula saepe in parenthesi adhibetur: statim infra §. 13. 27. — *navigaretur*. Ita Spald. ex opt. Codd. Vulgaris lectio: *navigaremus*.

§. 8. *nihil crescat*. Transposuit verba Spald. post eum Fr. sed ratione aliquanto leviori. Itaque satius habuimus servare priscum ordinem, qui omnium est Codd. — Pro *autem* cresc. Codd. nonn. et editt. dant: *enim*. Illud longe firmioribus nititur testibus; atque eius usus vel maxime est tum in parenthesi, tum in enunciationibus subiunctis, quarum conditio ea est, ut ad sensum deesse non posse ponamus. Itaque particula non tam est *adversativi* generis quam *adfirmantis* et ad superiora *adstruentis*.

§. 9. *illum oratorem*. Mutarunt pronomen in: *illum*. Iens. Obr. et priorr. multi ante Basil. et pro *possumus* substituerunt: *possimus* Iens. et qui eum secuti. — *in his*. Sic Spald. ex Tur. Flor. Guelf. Reliqui: *iis*. Obr. Gesn. Nostro loco vel opposita ratio pronominum *illum* — *his* quid verum sit prodit. — *appetent*. Lectionem ex consensu complurium Codd. melioris notae quibus nunc adstipulantur Paris. 1. 2. Ambr. 2. recepit Frotsch. pro vulgari: *appetunt*. Scilicet latet sub illo Futuro notio: *quum debeant; at deficit animus et voluntas*.

§. 10. *evaluerit*. Iens. cum editt. posterr. *valuerit*. Ita pas-

pares maxime videantur, utique discrimine aliquo discernantur. Adde quod quidquid alteri simile est necesse est minus sit eo, quod imitatur, ut umbra corpore et imago facie et actus histrionum veris affectibus. Quod in orationibus quoque evenit. Namque eis, quae in exemplum assumimus, subest natura et vera vis: contra omnis imitatio ficta est et ad alienum propositum accommodatur. Quo fit, ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant quam orationes; quia in illis vera, in his assimilata materia est. Adde quod ea, quae in oratore maxi-

sim e in verbis compositis excidit, veluti in *evenire*, *effusus*, *evagari*, *eloqui*. Vid. Drakenb. ad Liv. 41, 7, 10. Idem nostro verbo accidit II, 8, 5. ubi leguntur: *quod et adiuta cura natura magis evalescat*: in Goth. *valescat*. — *simplicissimae*. Sic Spald. ex Tur. Flor. et multis editt. vett. pro vulgari: *simillimae*. Iens. Obr. Gesn. alii, qui fere omnes exc. Obr. nihil dant nisi: *quae simillimae videantur*; nempe *simillimae* et *quae pares maxime vid.* iuxta positae tolerari non possunt nisi quis Quinctilianum dormitasse coarguat. Deinde pro *discernantur* apud Obrecht. exaratum est: *dissocientur*, quod reperitur in Turic. a sec. m. pro: *disnantur*. In Flor. datur: *desinantur*. Unde Spalding. coniciebat: *distineantur*. Malim: *distinguantur*, vel quod aliquanto simplicius quodque propius accedit ad ista notarum compendia: *definiantur*.

§. 11. *nec. est minus sit*. In Camp. et apud Obr. *est esse minus*. At id vere nimium est. — *orationibus*. In Voss. 1. 2. *oratione*; in edit. Gryph. *oratoribus*. — *eis*. al. vel *his*. vel *iis*. Attendant tirones quam diligenter respexerint antiqui scriptores tum ad aurium sensum, tum ad discrimen verborum: nimirum forma *eis* maxime ad *sequentia* spectat, et simpliciter usurpatur ita ut cum appositis verbum *unum* efficiat *subiectum* vel *obiectum*; *iis* vel retrospicit vel ubi cum aliis appositis coniunctum est, discerni potest veluti Subiectum a Praedicato. — *imitatio ficta*. Quod in Codd. Tur. Flor. reperitur facta respuerunt editt. recent. aetatis; neque vero damnare licet Spaldingium, cui hunc locum secum reputanti scrupulum iniecissee videtur illud: *poetae nascuntur, non fiunt*. Simile permutationis exemplum exhibet Liv. 40, 12, 7. — *quo fit*. In Codd. Tur. Flor. et in Camp. est: *quod facit*. Quae quidem verba Frotsch. arctissime coniunxit cum antecedenti *accommodatur*, ita ut subiectum sit: *imitatio*; atque deinceps pro *habeant*, recepit: *habent*. Nobis contra probabilior ratio videbatur, qua verba idem significare crederentur, quod vulgaria: *quo fit*; *in causa est*. — *quia*. al. *quod*. Frotsch. dat *quoniam*, quod occultum putabat sub *quam*; ita enim in Flor. et Tur. cum Alm. — *assimulata*. al. *dissimulata*.

§. 12. *in oratore*. Iens. et post eum omnes editt. ante Ald. dant: *oratione*. Cfr. §. 11. — *inventionis vis*. Abstinere non potui, quin hanc lectionem reciperem, quae cum Codd. Tur. Flor. quibus alii multi et libri MSS. et excus. conspirant, auctoritate certe

IN
ma sunt,
facilitas
quam ver
positionis
arbitrante
temporibu
dine) eaq
se soni ta
secus colle
data sit tu

II.

tem studi
imitentur
cuiusque
elegerim

ex parte
eis a tali
paene nu
Subiecti;
rectionum
est ad e
qui lauda
loci fere
facilitas v
facilitas si
facilitas.
artis est a
turam ha
maxima in
iuvare vid

§. 13

— *verba*.
multis est
accedit qu
— *eligere*
fructus hic

§. 14.

Obr. Gesn
baa nihil
rietas. At
al. deinde.
pendio; c
in. Nam e
et ab hoc
bonis Cod
pro nos est

ma sunt, imitabilia non sunt, *ingenium*, *inventionis vis*, *facilitas* et quidquid arte non traditur. Ideo plerique, 13
 quum verba ex orationibus excerpserunt aut aliquos compositionis certos pedes, mire a se quae legerunt effingi arbitrantur: quum et verba intercidant invalescantque temporibus (ut quorum certissima sit regula in consuetudine) eaque non sua natura sint bona aut mala, (nam per se soni tantum sunt), sed prout opportune proprieque aut secus collocata sunt, et compositio quum rebus accommodata sit tum ipsa varietate gratissima.

II. Quapropter exactissimo iudicio circa hanc partem 14
 studiorum examinanda sunt omnia. Primum, quos imitemur: nam sunt plurimi, qui similitudinem pessimi cuiusque et corruptissimi concupierunt: tum in ipsis, quos elegerimus, quid sit, ad quod nos efficiendum compare-

ex parte defenditur. Ibi enim est: *inventionis*. At facile *vis* a tali vicinia intercipi potuit. Accedit, quod *vis* raro ac paene nusquam simpliciter usurpatur; ubique fere additur casus Subiecti; veluti *vis dicendi*, *inventionis* §. 16. supra c. 1, 83. *inventionum acumen*. Deinde ipsa etiam *facilitas* referatur necesse est ad certam aliquam vel animi vel corporis facultatem. Atqui laudatur ipsa *inventionis facilitas*, *oris* etc. — Reliqui enim loci fere omnes eiusmodi sunt, ex quibus singularis quaedam *facilitas* vel *vis* intelligatur. Cfr. §. 25. et supra 1, 1. et si qua *facilitas* simpliciter dicitur, *morum* est. XI, 1, 42. *humanitas*, *facilitas*. Adde Sall. Cat. 54, 3 et 4., et quod *inventio* proprie artis est ac disciplinae, *inventionis vis* et *acumen* hominis, qui naturam habuit faultricem. Postremo, si consideres quae sint *maxima* in oratore, ipsa rerum natura sententiam nostram adiuuvare videatur.

§. 13. *ideo*. al. *ideoque*. Obr. Gesn. et longe plurimi priorr. — *verba*. Inserunt plerique: *quaedam*; et pro *legerunt* in permultis est: *elegerunt*; quod unde exortum sit, quisque videt: accedit quod iteratio eiusdem notionis quae inest verbis *excerpere* — *eligere* contra venustatem est; et quod summum, lectionis fructus hic commemorantur.

§. 14. *concupierunt*. al. *concupierint*: et ita quidem plurimi. Obr. Gesn. Similis locus IV, 3, 16. *sed plurima sunt, quae rebus nihil secum cohaerentibus inferuntur*; ubi eadem lectionis varietas. At nostro certe loco nulla potest esse dubitatio. — *tum* al. *deinde*. Obr. Gesn. Ortum est illud vitium ex scripturae compendio; cuius exempla reperies apud Drakenb. ad Liv. 2, 21. in. Nam ex *tum* facile aliquis labi poterat ad *inde*. In nonn. bonis Codd. deest: *ad*; quibus acced. Paris. 1. 2. 6. in paucis pro *nos* est: *nobis*; denique ordine inverso exhibetur: *eff. nos*.

- 15 mus. Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa: atque utinam tam bona imitantes dicerent melius quam mala peius dicant. Nec vero saltem iis, quibus ad evitanda vitia iudicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere et solam, ut sic dixerim, cutem vel potius illas Epicuri figuras, quas e summis corporibus dicit effluere.
- 16 Hoc autem his accidit, qui non introspectis penitus virtutibus ad primum se velut aspectum orationis aptarunt, et quum iis felicissime cessit imitatio, verbis atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inventionis non assequuntur, sed plerumque declinant in peius et

§. 15. *in magnis*. Abest in a Guelf. — *imitantes*. Quod in Flor. a pr. m. scriptum legitur: *imitandos*, equidem exortum crediderim ab errore librarii auribus non ita arrectis verba dictantis calamo excipientis. Ex eodem fonte plura eiusmodi vitia et errata emanasse pro certo habendum est. — *dicant*. Sic Frotsch. ex opt. codd. et editt. adsent. nunc etiam Paris. 1. 6. Ambr. 2. Receptit etiam nuper Gernhard. Ratio haud dubie in eo sita est, quod illa *optantis conditio*, quam significat *utinam*, non magis ad prius quam ad posterius enunciationis membrum pertinet. Alia erat ratio, addita particula: *nunc*; veluti in loco Cic. ad Attic. 4, 16. *utinam tam facile vera invenire possem, quam falsa convincere*. — *sic dixerim*. Omittunt *sic* Codd. Tur. Flor. Guelf. cum Camp. et praeterea Voss. 1. 3. Nescio an id consulto factum sit.

§. 16. *his accid.* al. *iis*. Obr. Gesn. et plerique priorr. Contra quod infra statim sequitur *iis* in Guelf. Camp. et Basil. permutatur cum *his*: quod quidem posteriore loco tolerari non potest; nam Pronomen pertinet ad supra commemoratos atque tota sententia est *iudicantis*. Iuvabit vero in mentem revocare quae de frequenti horum pronominum confusione monuit Wolf. in Anall. Litt. I, 2. p. 289. et Priscian. XVII, 9, 58. qui praecipit: *hic non solum de praesente, verum etiam de absente possumus dicere, ad intellectum referentes demonstrationem*. Itaque quoties res qualiscunque quamquam non nisi mente et cogitatione comprehensa tanquam in praesenti et veluti ante oculos posita describitur vel significatur, id quod vel maxime fit in *rebus ac personis*, quae vere sunt, quas novimus, quibuscum nobis intercessit communicatio et familiaritas, tunc pronomini *hic* locus est. Unde consequens est, quod experientia docet ab antiquis scriptoribus observatum esse, ut pronomen *hic* componatur vel cum praesenti vel perfecto tempore. Cfr. Kritz ad Sall. Cat. 2, 4. qui virorum DD. hac de re sententias diligenter composuit. — *imitatio verbis*. Ita Spald. ex opt. Codd. et editt. vett. Reliqui interponunt: *qui*. Obr. Gesn. — *laetis corrupti, compositis exult*. Exstitit nuper vir doctus, qui *aciem*, ut ita dicam, immutandam esse statueret, ita ut opponerentur *laetis exult.* et *compositis corrupti*. Refellit eum Zumpt.

proxima
grandibus
laetis cor
gentes.
illud frigi
dunt: qui
qui prae
Thucydid
lantur: o
xerunt, i
ram quos
lestis hui
posuisset
imitaturu
sciat.

III.

Nam qua

§. 1
dedit pr
libet. In
licet, a s
recipiente
Ita Quine
quid utili
ostenderi
frig. ill. C
quantum
dum sit
finitum,
frigidum
et dicend
pulchri a
plur. Par
— Attici
critici: al
pendeat a
Ita Codd.
ram Spal
ant sed s
§. 19
ante Ald.
a quibus
mirari no
Gernhard
quaedam
Nam pri

proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro
grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii,
laetis corrupti, compositis exultantes, simplicibus negli-
gentes. Ideoque qui horride atque incomposite quid, licet 17
 illud frigidum et inane, extulerunt, antiquis se pares cre-
 dunt: qui carent cultu atque sententiis, Atticis scilicet:
 qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque
 Thucydidem superant: tristes ac ieiuni Pollionem aemu-
 lantur: otiosi et supini, si quid modo longius circumdu-
 xerunt, iurant ita Ciceronem locuturum fuisse. Nove- 18
 ram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud coe-
 lestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula
 posuissent *Esse videatur.* Ergo primum est, ut quod
 imitaturus est quisque, intelligat et quare bonum sit
 sciat.

III. Tum in suscipiendo onere consulat suas vires. 19
 Nam quaedam sunt imitabilia, quibus aut infirmitas natu-

§. 17. *quid licet.* Ex Flor. Goth. post Gesn. et Bip. Spalding.
 dedit pro: *quam libet*, quum in plerisque libris editt. sit *quid-*
libet. In Camp. *quam licet.* Verum quum Tur. exhibeat: *qui*
licet, a sec. m. *quid licet*, vero propius accessisse videbamus,
 recipientes quae naturali quadam facilitate commendarentur.
 Ita Quinctil. IV, 2, 83. ordine quo *quid* actum sit. ibid. quum
quid utiliore loco reducimus. VIII, 3, 8. in quo mihi *quis*
 ostenderit. — In aliis verba *illud frigid.* transposita leguntur:
frig. ill. Obr. Gesn. — Explicant illud *quam libet*, ut sit *quamvis*,
quantum libet; sed non dubitamus quin *illud* ad aliquid referen-
 dum sit quod antecesserit, quamquam diserto nomine non de-
 finitum, ut scriptoris sententia eo redeat: *quidquid elegerunt*,
frigidum est. Quo duplex vitium significatur, et in *materia s. re*
et dicendi genere conspicuum: scilicet carent isti scriptores sensu
 pulchri ac venusti. — *extulerunt.* al. *extulerint.* Iens. et post eum
 plur. Pariter infra pro *circumdixerunt* in Camp. est: — *duxerint.*
 — *Atticis scilicet.* In tres potissimum abierunt partes homines
 critici: alii statuunt legendum esse: *Atticos* scil. ita ut Accusativ.
 pendeat a seq. verbo: *superant.* Obr. alii praeferunt: *Attici scil.*
 Ita Codd. Guelf. Voss. 1. 3. Bern. Denique Frotsch. coniecturam
 Spaldingii approbans, recepit: *Attici sunt scilicet.* At non
sunt sed speciem praeferunt, ac tales haberi volunt.

§. 19. *imitabilia.* Ita Spald. ex Tur. Guelf. Goth. et editt.
 ante Ald. in reliq. (etiam Camp.) est: *inimitabilia.* Obr. Gesn.
 a quibus nunc etiam stat Zumpt. qui se crisis Spaldingianam
 mirari non dissimulavit. Sed ut taceam, quae contra monuit
 Gernhard. ad. h. l. in Addend. p. 603. quem consulas, sunt alia
 quaedam in promptu, quibus sententia Spalding. confirmetur.
 Nam primum modo ab auctore disputatum est, quam necesse

rae non sufficiat aut diversitas repugnet. Ne, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis et vim suam perdat et elegantiam quam cupit non assequatur. Nihil est
 20 enim tam indecens quam quum mollia dure fiunt. Atque ego illi praeceptorum, quem instituebam in libro secundo, credidi non ea sola docenda esse, ad quae quemque discipulorum natura compositum videret. Et adiuuare debet quae in quoque eorum invenit bona, et quantum fieri potest adiciere quae desunt, et emendare quaedam et mutare. Rector enim est alienorum ingeniorum atque
 21 formator. Difficilius est naturam suam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quamquam omnia, quae recta sunt, velit esse in suis auditoribus quam plenissima, in eo tamen, cui naturam obstare viderit, laborabit.

sit, ut quod imitaturus est quisque intelligat, quare imitatione dignum sit. Iam vero ad aliud quid aequae necessarium pergat, ut suas quisque vires consulat: omnia scilicet illa, quae exempli loco infra recensentur, imitabilia sunt, verum non omnibus: propterea quod quum duo faciunt idem, non est idem. Tertio ex ipso verborum ordine colligi posse arbitror, sententiae gravitatem ac rei pondus non inesse in voce imitabilia, sed in quaedam sunt, quod quidem verbum hic respondet Franco Gallico: *il ya*, sic ut quaedam imitabilia expleant tantummodo notionem Subiecti; Praedicatum quod dicunt situm est in verbo sunt. Postremo imitabilis et totum illud genus Adiectivorum similitudinem et opportunitatem indicat, non legem, qua quis alterutri officio obstringatur. His adiciere licet; quodsi quis persistat in voce inimitabilia, ei quoque legendum esse: *sufficit — repugnat*. Cur ita fieri debeat, explicatione non eget. Similis discrepantia viror. dd. Caes. B. C. III, 8. utrum indiligentia an diligent. melius habeat. — ne cui. Ita Spald. ex opt. Codd. Vulgaris lect. nec cui. Obr. Gesn. — assequatur. Multi: *perseq.* — *dure fiunt*. Sic Spald. ex auctoritate optt. Codd. quibuscum nunc faciunt Paris. 2. 6. Ambr. 2. al. *dura f.* vel: *durescunt*.

§. 20. instituebam. Spald. post Camp. Obr. cum Tur. Flor. Vulg. institueram. — in. Deest in Voss. 1. 3. a littera antecedent. intercept. — credidi. al. tradidi. Obr. Gesn. Id factum est ex permutatione haud infrequenti. Cfr. Duker. ad Liv. 10, 6, 14. Burm. ad Ovid. Met. 2, 378. Drakenb. ad Sil. 16, 371. — invenit. Ne mireris in plerisque editt. esse: *invenerit*. Nostrum tuentur opt. Codd. Pertinent huc quae disseruerunt Ramsh. §. 174. p. 497. Stallb. ad Rudd. II, p. 347. Görenz ad Cic. Fin. IV. §. 67. — Pro *difficilius* in Camp. *difficile*. Ita saepe Positivus cum Comparativo a librariis commutat. cfr. supra 1, 1. et 102.

§. 21. in illis operibus. Ita Spald. consent. opt. Codd. et vett.

IN
 IV.
 ne in orati
 oratores a
 que propo
 comoedia i
 culo ingred
 commune:
 solet incom
 editt. Vulg
 paucos suos.
 §. 22.
 simus in re
 mus, Spald
 stituisse ut
 Codd. et ed
 tuentur coll
 gentoratus.
 lectionem e
 multum abe
 ut adsensu
 ctoritas, tu
 tatio, post
 quae quum
 ubi additur
 sitio in sequ
 tationis hab
 lta Tacit. H
 vergus. V
 tum assurger
 actionum ac
 lioris condit
 nata sordide
 thurnos. Ce
 disceptatio
 ao in terran
 nem illam,
 conati sumu
 instruiorem
 Fieri potuit
 commutabat
 trit Bentle
 nota: n; ac
 Cfr. Daehne
 §. 23.
 Sed nostrum
 aperitis iis.
 al. aut nudi
 Praeterea ad
 gulis. al. sin
 librarii atqu

IV. Id quoque vitandum, in quo magna pars errat, ne in oratione poetas nobis et historicos, in illis operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cui-
 que proposita lex, suus cuique decor est. Nam neque comoedia in cothurnos assurgit nec contra tragoedia socculo ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune: imitemur quod commune est. Etiam hoc
 solet incommodi accidere eis, qui se uni alicui generi de-

editt. Vulgo: *illorum*. Obr. Gesn. Sic Caes. B. C. III, 96. pro: *paucos suos*. vulgar. lect. *suorum*. Cfr. Kritz ad Sall. Cat. 3. extr.

§. 22. Nam neque comoedia in cothurnos assurgit. Ne multi-
 simus in recensendis viror. doctor. opinionibus, primum adnota-
 mus, Spalding. maximam partem ex coniectura locum ita consti-
 tuisse ut haberet: *nam com. non cothurnis assurgit*; at omnes
 Codd. et editt. quantum scimus, praeter Tur. Flor. et Camp.
 tuentur *cothurnos*. Deinde pro *socculo*, quod est in Tur. et Ar-
 gentoratens. Obr. reliqui dant: *socco*. Porro Frotsch. veram
 lectionem esse censuit: *com. (in) cothurnis assurgit*, ita ut non
 multum abesset, quin exulem faceret praepositionem. Verum
 ut ad sensum cohiberemus impulit tum plurimorum librorum au-
 ctoritas, tum quae innumeris locis detecta est literarum permuta-
 tio, postremo, quod summum est, ipsa verbi *assurgere* notio:
 quae quum eiusmodi sit, ut vel simpliciter verbum ponatur, vel,
 ubi additur regio s. pars, quo quis assurgendo tendit, praepo-
 sitio in sequenti Accusativo usurpetur, totus hic locus nihil dubi-
 tationis habere videtur, quin verum ac genuinum esse statuamus.
 Ita Tacit. Hist. IV, 23. in. *Pars castrorum, in collem leniter as-
 surgens*. Vellei. II. 51, 3. *Hispanus in triumphum et pontifica-
 tum assurgeret*. Itaque lepida quadam imagine nobis describitur
 actionum ac personarum veluti discrepantia, quarum altera humi-
 lioris conditionis ad altiora escendere fingitur, altera illustri loco
 nata sordido vestitu incedit. Ideo etiam dicitur *assurgere in co-
 thurnos*. Ceterum de structura eadem fere solet esse viror. dd.
 disceptatio ubi quaeritur, quid rectius habeat: exponere *in terra*
 an *in terram*. Cfr. Interpret. ad Caes. B. C. III, 23. 103. Ratio-
 nem illam, quam ad vers. german. p. 151. pluribus defendere
 conati sumus, nunc quidem non tam aspernamur, quam utique
 infirmiore missam fecimus. — *Habet tamen*. In Camp. *hab. enim*
 Fieri potuit descensus per hos veluti gradus: *tamen* saepenumero
 commutabatur in *tum*; unde quomodo existere potuit *enim* adno-
 tavit Bentley ad Horat. Satir. II, 3, 132. scil. *enim* scribebatur
 nota: *n*; ac *tum* per *tu*, unde saepe: *tamen*; veluti infra §. 26. 27.
 Cfr. Daehne ad B. C. I, 44.

§. 23. *eis*. Similis paene conditio est qualis supra §. 16.
 Sed nostrum tuentur Tur. et Flor. Reliqui: *iis*; in paucis: *his*. —
asperitas iis. al. *his*. Obr. Gesn. et plurimi priorr. — *ac iucunditas*.
 al. *aut nuditas*. Obr. Gesn. Nostrum dant Tur. Flor. Camp.
 Praeterea adiuvat ipsa illa *asperitas*, cui opposita est *iucunditas*. — *sin-
 gulis*. al. *similibus*, sed una edit. Tary. — *dicenda*. Corruperunt
 librarii atque efflaxerunt: *dicent*. Ita in multis editt. inde a lens.

diderunt, ut si asperitas iis placuit alicuius, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant: si tenuitas ac iucunditas, in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant: quum sit diversa non causarum modo inter ipsas conditio, sed in singulis etiam causis partium; sintque alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia movendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis atque divisa inter se
 24 ratio est. Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur, addicere. Omnium perfectissimus Graecorum *Demosthenes*: aliquid tamen aliquo loco melius alii: plurima ille. Sed non qui maxi-
 25 me imitandus et solus imitandus est. Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo *M. Tullius* dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noceret vim *Caesaris*, asperitatem *Coeli*, diligen-

— *divisa*. Sic Spald. ex Tur. Flor. cum Alm. Vulgar. lect. *diversa*. Saepe haec vocabula in scriptis commutata. Exempla attulerunt Drakenb. ad Liv. X. 33. extr. Burm. ad Ovid. Ep. 12.

§. 24. *suaserim, uni se alicui proprie, quem — sequatur, addicere*. Primum pro *addicere* nonn. exhibent: *addicere*. Guelf. Goth. ex editt. Camp. Iens. Tarv. Factum est ex frequenti librariorum negligentia. Drakenb. ad Liv. IV, 8, 5, Scribebatur enim olim ex more solemniter *adicere* pro *aduc*. inde facilis permutatio, cui adfinis est verbi *adigere* Daehne ad Caes. B. G. IV, 23. Deinde Codd. Tur. et Flor. dant vel *suaserimus* (Tur. et Camp.) vel *suaserim non uni al.* Unde Spald. colligit, antiquitus fuisse: *se uni aliquem*. Sed aliam quoque medelam adfert: *uni nos alicui quem — sequamur*. Quod ita probo ut velim: *suaserim nos* (persaepe enim nos et non confusum Drakenb. Liv. 3, 9, 5. Daehne et Held ad B. C. I, 69.) *uni alicui — sequamur*. Ita facile explicari potest, qui factum sit ut *suaserimus* a librario scriberetur: scilicet ipsa oris volubilitas, verba pronuntiando veluti conglutinantis id efficere potuit; vel si id oculorum lapsu accidisse cogites: at *non* et *nos* similem paene speciem repraesentant. Nam *sequatur* interpretari ἀπὸ ζωοῦ, quum quo referatur proprie non habeat, recte durius id fieri iudicavit Spalding. — *omnium perf* In multis editt. *longe omn. perf*. Sic Camp. et posteriorr. cum Goth. et Voss. 2. (acced. Par. I, 6. teste Zumpt. ad h. l.) Reliqui, in quib. Obr. Gesn. omittunt *omnium* et simpliciter exhibent: *longe perfect*. Nostrum Spald. ex Flor. (in Turic. et Alm. *omnem*. Equidem putaverim scriptore nostro haud indignum esse: *Omnium longe perf*. Quem enim librariorum tantum Demostheni laudis cumulum addidisse credibile est? — *et solus al. etiam*. Praeter al. post Basil. Obr. Gesn.

§. 25. *noceret*. Spald. ex opt. codd. et editt. vett. Reliqui: *nocet*. Obr. Gesn.

tiam Pol
 mere?
 que opti
 difficulta
 que quu
 ni incon
 aliud ex
 aptemus.
 V.
 sit tantu
 fuerit illi
 silium,
 etationi
 tur proo
 vis probi
 neris mo
 litatis g
 sequitur
 tum ver
 § 26
 2. Reliqu
 mus nihil
 venire.
 §. 27
 est, quod
 tendam.
 nus. Mi
 confusio.
 secutus e
 l, l, 3.
 Zumptio r
 in nonn. s
 §. 28
 adsentit
 quae dees
 tetur exer
 Noli itaqu
 alia prors
 conditione
 — oport
 Daehne a
 tem: oport
 inepti ali
 nem, qu

tiam *Pollionis*, iudicium *Calvi* quibusdam in locis assumere? Nam praeter id quod prudentis est, quod in quo-²⁶ que optimum est, si possit, suum facere: tum in tanta rei difficultate unum intuentes vix aliqua pars sequitur. Ideoque quum totum exprimere quem elegeris paene sit homini inconcessum: plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio haereat, et quod cuique loco conveniat aptemus.

V. Imitatio autem (nam saepius idem dicam) non²⁷ sit tantum in verbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis, quod consilium, quae dispositio, quam omnia, etiam quae delectationi videantur data, ad victoriam spectent: quid agatur prooemio, quae ratio et quam varia narrandi, quae vis probandi ac refellendi, quanta in affectibus omnis generis movendis scientia, quamque laus ipsa popularis utilitatis gratia assumpta: quae tum est pulcherrima, quum sequitur, non quum arcessitur. Haec si perviderimus, tum vere imitabimur. Qui vero etiam propria his bona²⁸

§ 26. *quod cuique loco*: Ita opt. codd. a quibus etiam Par. 2. Reliqui: *quo quidque loco*. Obr. Gesn. adsent. Guelf. Vidimus nihil horum pronominum confusione in libris frequentius obvenire.

§. 27. *intendenda — mens*. In Flor. *intendamus*: inde factum est, quod litera *n* linea supra scripta indicabatur: quare Alm. *intendams*. — *quamque* Iens. Obr. al. *quanta que*. — *perviderimus*. Magna ubivis praepositt. *per, prae, pro* in verbis compositt. confusio. Alii dant: *praevid*. Iens. Obr. al. In Goth. quem nemo secutus est: *provid*. Verum Quinctil. frequens est in hoc verbo. 1, 1, 3. *hoc qui perviderit*, ubi similes errores librariorum a Zumptio recensentur, sed ipsum illud *veram* lectionem prodit, quod in nonn. scriptum est: *guppe viderit*.

§. 28. *deerant*. Genslero post Francium suadenti: *deerunt*, adsentitur Gernhard. At nobis bene habere videtur, est enim: quae *deesse* animadvertibat: semper ante oculos propositum cogitetur exemplum, in quo licet perfectissimo nonnulla desiderantur. Noli itaque nimium quid tribuere momenti illi: *redundabit*; nam alia prorsus est enunciationis ratio; dixit enim haec scriptor cum conditione, illa simpliciter. Ita supra §. 20. adiicere quae *desunt*. — *oporteat*. Spald. ex Tur. Flor. Camp. Reliqui: *oportebat*. Cfr. Daehne ad Caes. B. G. VII, 66. B. C. III, 69. Genslerum proponentem: *oportebit*, refutavit Frotsch. Illud *oportebat consummari* ne inepti aliquid et absoni edicat vereor. — *supersunt*. Hanc lectionem, quamquam dissuadente Spald. recepimus, quum particula

adiecerit, ut suppleat quae deerant, circumcidat, si quid redundabit; is erit quem quaerimus, perfectus orator: quem nunc consummari potissimum oporteat, quum tanto plura exempla bene dicendi supersunt quam illis, qui adhuc summi sunt, contigerunt. Nam erit haec quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

aeque h. I. sit *caussalis* ac *temporalis*, et Codd. gravioris dignitatis in Indicativo tuendo consentiant. Praeter Guelf. nunc Paris. I. 2. 6. Ambr. 2. — *plura*. Frotscher. uti supra I, 45. *plurima* substituit ex Codd. Tur. Flor. et Camp. Eiusd. sententiae est Gernh. Nolumus tantorum virorum iudicia impugnare, duo tantum contra monere liceat; *plurima*, fortasse originem suam debere formae illi priscae: *pluria*, a qua non abstinuerunt certe antiquiores. Cfr. Priscian. III, 2, 9. p. 109. I. edit. Krehl. Alterum tacere non possum, si quae sit Graecae linguae in simili conditione consuetudo, respicio: ferri posse *plurima*, dummodo sequatur — *nulla*, vel alia quaedam vox cui comparetur *plurima*; veluti Demosth. Olynth. p. 21, 22. ὅσω γὰρ ἐνομιόταν αὐτῷ δοκοῦμεν χρῆσθαι, τοσούτω μᾶλλον ἀπιστοῦσι πάντες αὐτῷ. Cfr. Matth. Grammat. gr. mai. §. 462. et supra §. 3. *tanto faciliorem etc.* — *contigerunt*. Iens. cum multis ante Ald. *contigerit*: al. *contigerant*: nihil hoc crebrius in MSS. Cfr. Daehne ad Caes. B. G. VI, 42. VIII, 2. B. C. I, 87.

I. De
III. Nov
conveniam
poris et le

I. Et h
autem c
littatis et
M. Tulli
vocavit.
tionibus
suum c

§. I.
editt. mu
est, quan
ante Stoe
Ita passiv
tus. —
reperitur
neque ab
dem mo
carit. S
pro vulga
I, 31. pr
veri. De
§. 2.
eum Par.
Ambr. 2.
Obr. Gest
propter n
comparati
Ab opt. co
in editt. I
Sed nostr
lapsu inte
monstrat
quot editt